

- (1706 - 1785)
1. Ambodick de hepate. 1785.
 2. Ambrust nonnulli graviores morbi. 1749.
 3. Ambruster de felici utori repositione. 1776.
 4. Assun loises in febribus. 1741.
 5. Autber de epilepsia. 1708.
 6. Aurran de dinguis feminae loquela. 1766.
 7. Baldiger de conceptione. 1747.
 8. Barbano circulus sanguinis. 1742.
 9. Bartenstein de morbis infantum. 1711.
 10. Baumgarten de uto. 1785.
 11. Baur de sativa. vrob.
 12. Baur de venens. vrob.
 13. Becker de intussusceptione. vrbq.
 14. Becker preservat. contra febres. 1735.
 15. Bohr de varicis nostris. 1728.
 16. Betz de seu sequiori. 1776.
 17. Bender de cosmeticois. vrbq.
 18. Bentley de sectione synchondroseos. vrcq.
 19. Beucke de ileo. vrbq.


Q. D. B. V.
2

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
NONNULLOS GRAVIORES
MORBOS
EX ALVO CONSTIPATA,
QUAM
adjuvante NUMINE SUPREMO,
INDULGENTE
GRATIOSA FACULTATE
MEDICA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES
RITE CONSEQUENDI
SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI
OFFERT
IGNATIUS LUDOVICUS ARMBRUST,
SELESTADIENSIS
AD D. X. NOVEMBRIS A. MDCCXLIX.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII, UNIVERS. TYPOGR.

VIRO
ILLUSTRISSIMO
ATQUE
EXCELLENTISSIMO,
DOMINO, DOMINO,
BARTHOLOMEO
DE VANOLLES
EQUITI,
IN OMNIBUS REGIIS CONSILIIS
CONSILIARIO,
HONORARIO LIBELLORUM SUPPLICUM
MAGISTRO,
JUSTITIAE, ÆRARII atque POLITIAE
quæ in ALSATIA administratur
PRÆFECTO SUMMO,
PATRONO atque MÆCENATI SUO
OMNI REVERENTIAE ET OBSERVANTIAE
CULTU VENERANDO.

VIR ILLUSTRISSIME!



on levis est, qui mentem meam agitat, sive pudor sive sollicitudo, cum curatius perpendo, quanta sit mea audacia, qua forsan non minus in debitam summæ TUÆ dignitati reverentiam, quam in publica Patriæ commoda pecco.


Levissimum est munus, & eminenti illo loco, in quem TE REX POTENTISSIMUS collocavit, utique minus dignum, quo cum gravissimas TUAS de Alsatiæ nostræ salute curas interpellare audeo. Reputo mecum vicissim, insignem TUAM quæ neminem latet

latet humanitatem, quam in TE summam,
eo ardentius suspiciunt & mirantur singuli,
quo magis reliquis TUIS belli domique spe-
ctatis virtutibus, & Regno & maxime nobis
jam dudum TE admirandum exhibuisti. In-
numera sunt exempla, quibus quam certissi-
me constat, TE pro maxima qua polles sagaci-
tate optime perspicere, Provinciæ quæ TUÆ
curæ commissa est, in eo si non unice præ-
cipue tamen versari commoda, quod omnis
generis literarum alumni, eximio TUO favo-
refoveantur, sustententur, ad ulteriores in-
citentur progressus. Animum igitur mihi ipse
addo, & TIBIVIR ILLUSTRISSIME! hasce
studiorum meorum humillime offero primi-
tias, serena illas recipias fronte ea qua par est
submissione rogo. Si quid ulterius à TE VI-
RO EXCELLENTISSIMO contendere li-
cet, enixe precor, ut leves hæcce pagellæ,
cum sint mei TIBI deditissimi animi fidissimi
testes, eadem illæ perpetuæ TUÆ in me gra-

tiæ felices evadant auctores. Jubet ab omni
ævo receptus dedicantium mos, hac ipsa in
epistola Illustrißimas TUAS celebrare laudes,
sed sunt illæ tantæ ut eas prædicare non au-
sim, nec ob ipsas ingenii vires, in Medicorum
potius quam Rhetorum versatus scholis, au-
dere possim. Accipe igitur potius quam ma-
xime pia æque ac ardentissima properenni
TUA & non interrupta incolumentate vota.
Vige! flore! omni felicitatis fonte redundat
VIR ILLUSTRISSIME! TIBI devinctissi-
mæ Alsatiae firmissimum columen, florentissi-
mæ Galliæ amplissimum decus, & bono utrius-
que quam diutissime Vive ita foveat ita optat

VIR ILLUSTRISSIME

cliens TUUS obsequiosissimus
Ignatius Ludovicus Armburst, Selestadienfis,
Auctor.



PROOEMIUM.

Sanitatem consistere in dextra
actionum corpori humano con-
venientium administratione,
quis Medicorum est, qui nesci-
at? variae hæ sunt actiones,
inter quas naturales dictæ, haud ultimum
obtinent locum; quippe quæ multis modis,
ita prospiciunt integrati corporis, ut à sa-
no corpore vix ac ne vix quidem abesse
possint, sed ad conservationem ipsius neces-
sario pertineant; unde & non mirum &
ab omni confirmatum experientia, easdem,
quomodocunque vitiatas, multifariam in-
columitatis labem post se trahere. Inter
cæteras alvina excretio, dicta bactenus
egregie illustrat: bujus enim justus & or-
dina-

35
dinatus successus, sanitatem suffulcit ser-
vatque, eadem quoquaque modo turbata,
valetudinem nunquam non infert adver-
sam. Varii sunt, quibus alvina excretio
peccat modi, quarum illi, qui fæcum ex-
cretarum spectant quantitatem, non levissimi
sunt, hos vulgo ad duo referunt capi-
ta, dum alvus videlicet interdum justo la-
xior interdum justo parcior esse solet. Sicuti
prius vitium suis haud caret incommodis,
ita posterius saepe graviores morbos habet
comites. Hinc me non plane Benevolo
Lectori molestum fore confido, si thematis
Inauguralis locopræcipios, qui alvum ob-
structam comitari aut sequi solent morbos
explicuero. Quodsi exspectationi B. L. aut
dignitati materie non exesse satis fecero,
ab ejus benevolentia decentibus formulis
gratiosum expeto judicium.

S. I. Ne



§. I.

NE in bonæ methodi leges impingere videamur, quid sub constipationis alvinæ nomine intelligamus, dicendis præmittere animus est. Constipationem alvinam dicimus vitium actionis naturalis intestinorum maximè crassorum, sub quo, quæ per ea excerni solent, justò diutius retinentur.

§. II.

Ad actionem, sub qua fæces excluduntur, ventriculum & intestina tenuia æquè ac crassa contribuere, eandemque ab his diversimode determinari, ratio dictitat, experientia confirmat. Anatomica igitur harum partium contemplatio, haud parum ad assequendam affectus nostri adæquatam ideam faciet.

§. III.

Et ut à ventriculo (1) quidem ordiamur, est is viscus cavum, in sinistro hypochondrio potissimum, mox A sub

(1) hunc enim adæquatum morbi nostri constituere subjectum docet WEDEL. de adstr. alvi diff.

sub diaphragmate & costis spuriis, inter hepar & lienem oblique situm : figura ejus convenit, cum illa quam in utriculis lusoriis observamus. Orificis gaudet duobus, sinistro quod altius dextro situatum est, & *natura* audit, atque dextro, quod *πυλωρόν* dicunt : vasa varii generis instructus est ventriculus, nempe arteria coronaria stomachica & gastrica utraque, quæ omnes à coeliaca proveniunt; gaudet porro venis, quæ gastricæ salutantur, & Venæ Portæ rami sunt; nec ipi defunt nervi copiosissimi, qui partim à truncō intercostali, partim à sympathetico medio proveniunt. Vasa quoque lymphatica percurrere ventriculum testantur Anatomici (2). Substantiam ejus præter recensita vasa quatuor absolvunt tunicæ, quarum prima seu membranacea, peritonei productio est ; secunda musculosa, è duplice strato fibrarum, longitudinalium nimirum & circularium constat, & motus vermicularis, quem peristalticum dicunt, præcipuum est instrumentum ; tertia nervea dicitur, super eam multa vasa sanguinea incedunt, plures glandulae collocatae sunt, hæc cum sequente ventriculi rugas (3) efficit ; quarta villosa dicta, copiosissimis foraminulis, quæ ductibus glandularum tunicæ tertiae exactè respondent (4), pertusa est: recensitæ tunicæ texti tellulosi ope inter se junguntur, quod malè tunicis ventriculi annumerari contendit WINSLOV. (5).

§. IV.

Per vulgus notum est, excipere stomachum varii generis alimenta, ore assumta, morsu discerpta, masticata, saliva triplicis naturæ humectata, aëre permista, ope

(2) HEISTER in *Compend. Anat.* pag. 79. §. 209.

(3) HEISTER loco citato.

(4) WINSLOV. *Splanchnolog.* §. 43. 44. &c.

(5) WINSLOV. ibidem §. 65.

ope linguæ variorumque muscularum per œsophagum lata, ipsique immissa. Alimenta, dum in ventriculo morantur, à calore quem partes ambientes largiuntur, emolliuntur, aër ipsis inclusus rarefit, motus in illis excitatur intestinus, & hoc modo cibi resolvuntur. His accedunt, ictus innumeri, quos cibi ab arteriis tam ventriculo propriis, quam partium adjacentium, & à motu reciproco Diaphragmatis & muscularum abdominalium, nec non ab actione fibrarum tunicae muscularis experimentuntur, hinc exactissima eorum oritur comminutio. Comminuti, resoluti cibi, liquore gastrico, qui triplicis indolis est, ulterius macerantur, diluantur, dissolvuntur, in tumorem attolluntur: liquidum tandem nerveum subtilitate sua & propria dissolvendi virtute absolvit digestionem (6).

§. V.

Dum mox recensita digestionis adminicula, ventriculo repleto in ingesta agunt, ea inde comminuantur, & in substantiam cineritiam quam chymum dicunt, rediguntur, qui ob valvularum ventriculi determinacionem, inferiorem pylori situm, motum peristalticum à stomacho ad anum usque canalem alimentarium urgentem, in Duodenum propellitur.

§. VI.

Intestinum hoc Duodenum, eorum quæ tenuia fiant primum, pyloro commissum, XII. circiter digestum longum, quatuor itidem gaudet tunicis: membranacea, à peritonæo oriunda; musculosa, è duplice piano fibrarum, quorum exterrum longitudinales, internum circulares absolvunt, constante; nerva, glandulis & variis generis vasculis, celluloso texto cinctis instructa,

A 2

cum-

(6) BOERHAAVE *Praelect. Physiol. Tom. I.*, p. 306.

cumque quarta valvulas connientes KERCKRINGII
formante; villosa, illa ventriculi crassiore, glandulis co-
piissimis à BRUNNERO denominatis, subtilissimis pa-
pillis, nec non venis lacteis conspicua, orificio ductus pan-
choledochi, in cuius finem vix non semper canalis pan-
creaticus hiat, pertusa. Vasa hujus intestini præcipua
sunt; Arteria ab ipso denominata, quæ mox à pylorica,
mox à gastrica magna, mox ab ipsa hepatica oritur,
vix non perpetua coeliaca neptis est, venæ ejus ad illam
quæ à Porta denominatur, pertinent; nervos ipsi largi-
untur, quem ganglia semilunaria formant plexus, nec
non illi, quibus à stomacho & hepate nomen est.

§. VII.

Hoc intestinum chymum sibi à ventriculo oblatum
excipit, eundem ulterioribus aptat & exponit mutationibus.
Liquidum enim, quod à BRUNNERO denominatæ glan-
dulae fecernunt, chymum ulterius diluit, qui huc effusis
bile & pancreatico succo, porro attenuatur, resolvitur
& ad faciliorem chyli exinde secretionem præparatur.
Sicut motu peristaltico tunica carnosæ, haæc actiones su-
stentantur, augmentur, perficiuntur; ita eodem oppitulan-
te, respiratione accidente, chylus è digestis extractus,
orificia laxata vasorum lacteorum, in hujus intestini ca-
vitatem hiantia, intrat. Quæ duodeni & ejus vasorum
lacteorum experta est actionem chylofa massa, isti com-
mittitur tubi intestinalis portioni, cui ab inanitate no-
men est, hæc etiam fluida, quæ ab ore ad hoc intesti-
num usque massæ cibariæ admista erant, & vasa lactea,
sive ob globulorum diametrum majorem, sive ob acrimo-
niam ipsorum oscula crispantem, intrare non poterant,
recipit.

§. VIII.

Intestinum jejunum, quod cum plerumque vacu-
um reperiatur, ita denominatum est; variam habet lon-
gitut-

gitudinem, quæ tamen nunquam non illi quam in Ileo obseruamus cedit, eam abdominis regionem, quæ umbilico superior est, occupat. Et huic quatuor sunt tunicae, ejus cavitas paucim gaudet glandulis coacervatis, quibus à PEYERO nomen est, illis quas in Duodeno obseruamus, magis elatis & copiosioribus (7) idem & valvularum conniventium ac vasorum lacteorum copia superat. Arteriæ ejus à mesenterica superiori & inferiori; venæ à mesenterica utraque & splenica; nervi à plexu mesenterico superiori, posteriori, & inferiori oriuntur.

S. IX.

In hoc intestino, pulpa alimentosa magis & perfectius cum fluidis digerentibus miscetur; resorptio chyli copiosior hic celebratur, id quod rectè è valvularum copia ducit WINSLOVIUS (8); tunicae musculosæ citator hic observatur peristalticus motus; hinc felicior chymi dissolutio, fæcum celerior propulsio, chyli copiosior in vasa sua secessus, ab hoc intestino expectantur. Quæ & huic fæse subducunt, magis exfluccæ fæces, muco intestinali lubricatæ, motus peristaltici ope ulterius ad Ileum pergunt.

S. X.

Ileum quod à situ suo, qui est umbilico inferior ad illam pelvis partem, quam Ilei nomine designant, denominatum est, interdum quindecim interdum viginti spithamarum æquatur longitudinem (9). Quas hucusque copiosas & transverso situ collocatas notavimus valvas, in hoc fistulæ intestinalis tractu, pauciores & direc-

A 3

di.

(7) WINSLOV. *Splanchnolog.* pag. 130.

(8) WINSLOV. *ibid.* pag. 572. §. 374.

(9) HEISTER. *in Compend. Anat.* pag. 80. §. 210. n. 3.

ctionem longitudinalem servantes observamus. Glandulae ejus, magis quam illæ antecedentium sunt compressæ & latæ. Eadem est ejus arteriarum origo cum illicis jejuni, idem circa ejus venas & nervos observare est. Ilei in sinistrum coli latus ingressus, artificissima machina, quam valvulam BAUHINI denominant, defenditur.

§. XI.

Qui Ileum intravit chymus, omni fere quem continebat chylo privatus, in hoc intestino ulterius exfugitur, omni melioris nota succo privatur; quæ & hic remanet, massa, glandularum lubricata latice, motu peristaltico oppitulante, in coecum pergit intestinum.

§. XII.

Quod coecum intestinum fassculum exactè refert, osse Ileo defenditur, æque ac ipsi adnexus appendix, quem vermiculatum dicunt, quatuor gaudet tunicis, tribus fasciculis ligamentosis, lacunis, glandulisque passim collocatis. Arteria ejus, ab ultimo ramo convexitatis arteriæ mesentericæ superioris ejusdemque ramo secundo, venæ ab arcu venæ mesentericæ magnæ, nervi à plexus post mesenterici fasciculis, & illo qui mesentericus inferior dicitur, ortum ducunt. Quæ copiosissimæ in appendice ejus coeco conspicuntur glandulæ, nullum de ipsius usu relinquunt dubium.

§. XIII.

Fæces tenaciores actiones intestinorum tenuum expertæ, omni fere tenuiori fluido exhaustæ, mira valvulae coli fabrica à regressu in Ileum impeditæ, hic porro ab omni fluido, tam venarum resorbentium, quam lymphaticarum ope privantur, plane exsuccæ evadunt,

&

& ob diuturniorem hoc in receptaculo stagnationem, cui calor partium vicinarum accedit, hoc demum in loco putrescere, foetere incipiunt, stercoris encomio dignæ evadunt. Acrimoniae putredinosæ ope irritata muculosa, muco glandularum lubricatas fæces, in colon ascendere facit. Rara sunt, quæ in hoc & reliquis crassis reperiuntur vasa lactea, exigui est, qui in illis præparatur chylus, momenti.

§. XIV.

Colon intestina tenuia ambit, variè & mirum in modum flexum est, supra Ilei finem, os sacrum versus oritur, productionis cuiusdam peritonæi ope pelvi, utriusque reni, vesiculæ fellis, ventriculo, lieni necitur. Longitudo ejus vix quinque excedit spithamas (10), amplitudine reliqua intestina superat, quæ in ejus superficie convexa observantur tria ligamenta tendinosa, in vermiciformem terminantur procellum; non exiguæ sunt, quibus ejus cavum distinguitur, valvulae, quarum situatio sic dictas cellulas format. Tunicæ ejus illis tenuum multò robustiores sunt. Arterias habet à mesenterica superiori & inferiori, venas ab omnibus Venæ Portæ ramis præcipuis, nervos à plexu mesenterico triplici.

§. XV.

Fæces ex coeco huc translateæ, colliguntur, magis putrefiunt, ulterius exsiccantur, hinc fibræ tunicæ muculosa fortius irritantur, quæ irritatio ad ligamenta ejus tendinosa pergit, his operantibus, fæces copioso muco, quem glandulæ colicæ fundunt, lubricatae & huimectatae, versus anum promoventur.

§. XVI.

(10) HEISTER, in *Compend. Anat.* pag. 81.

§. XVI.

Ultimum intestinorum quod ab ipsius situ, qui linneam ferè rectam servat, denominatum est, colon excipit. Longitudo ejus duas circiter palmas, latitudo tres digitos æquatur. Oritur ad imam lumborum vertebram, supra os sacrum descendit, & ad coccygem terminatur termino qui anus audit. Tres numerantur musculi, qui anum comitantur, quorum unus sphincteris, reliqui levatorum nomine veniunt. Nectitur anus cum ossibus sacro & coccygeo, cum virorum vesica urinaria, cum sexus sequioris uteri vagina. Tunica ejus musclosa, si quæ alia crassissima est, ejus robustissimæ longitudinales fibrae, latioribus ligamentis tendineis roborantur; quas nervæ & villosa formant, rugæ, longitudinales & copiose sunt; villosa copiosissimis obsita est glandulis, mucum evomentibus, & lacunis, quæ in vesiculos abeunt, infundentibus (11). Arteria ejus ab ultimo mesentericæ inferioris ramo, qui hæmorrhoidalis nomine venit, oriuntur, venæ mesentericæ parvæ ramus, cui cum hæmorrhoidalí externa commercium esse nemo ignorat, recto venas largitur. Nervi ejus ad plexum mesentericum inferiorem & ipsum truncum intercostalem referendi sunt.

§. XVII.

Plura sunt, quæ faeces intestino rectè commissas, ad exitum è corpore sollicitant; faciunt huc situs intestini ad perpendicularē accedens, valvularum transversalium defectus, muci lubricantis copia, ipsa faecum gravitas. Excretio alvina denique absolvitur, tunice carnosæ & ligamentorum à stercoris acrimonia orta irrita-

(11) MORGAGN, *adversar. Anat.* III. pag. II.

ritatione, contractione, cui si fortior inspiratio accedit,
 & hinc deducenda diaphragmatis in abdominalia viscera
 pressio, quam sub eodem actu contingens muscularum
 abdominalium motus adjuvat, sphincter resolvitur, fa-
 ces exsuccæ, foetentes è corpore eliminantur.

§. XVIII.

Eis quæ ad digestionem, chyli elaborationem, fæ-
 cum alvinarum secretionem & excretionem spectant leviori
 penicillo depictis, eum quidem in finem, ut thematis nostri
 enucleatio eo clarior B. L. evadat, nunc bona cum ejus
 venia, ea quæ ex classe rerum non naturalium aut præter-
 naturalium, fæcum alvinarum exclusionem turbare pos-
 sunt, declarare animus est; hæc enim cum procatarticas
 affectus nostri causas constituant, nostræ considerationis
 ea esse, non dubitamus.

§. XIX.

Alimenta, quibus ad sustentandum corpus, famem
 aut sitim abigendam, ad nos sublevandos, consolandos,
 reficiendos utimur, non unius sed diversissimi generis
 sunt; & pro varia eorum indole & vario uisu, corporis
 nostri actiones multifariam alterare, conservare, imo de-
 struere possunt.

§. XX.

Alimenta quidem simplicia, non insigni partium
 suarum mobilitate prædita, cujuscunque acrimoniae ex-
 pertia, quorum mixtio ab illa corporis nostri parum ab-
 ludit, ea sunt, quæ debita quantitate assumpta, ut cæ-
 teras, ita & eam quæ nunc nostræ considerationis est
 actionem machinæ humanæ, sustentant & servant. Ean-
 dem alimenta sive quantitate, sive qualitate peccantia, o-
 mniño turbant.

B

§. XXI.

§. XXI.

Copia alimentorum nimia, ventriculi & intestinorum tunicae fibræ justo nimis extenduntur, irritantur, ad spasticas contractiones sollicitantur, inde ventriculi ora clauduntur, eorum pondere omnis generis vasa ejusdem comprimuntur, aër fermentationis ope ex massa cibaria solutus rarefit, vesicæ instar ventriculum inflat, inde ictus arteriarum & reliquarum vicinarum partium redduntur iritti, diaphragmatis sursum pressi vis respirationi obest, hinc muscularum abdominalium actio manca evadit; massa cibaria cruda in duodecimum devolvitur, mole sua & copia bilis virtutem eludit, supprimit, absorbet, succi pancreatici viribus superior manet, glandulas lympham intestinalem fundentes oblinit, obstruct, pondere suo alveum intestinalem nimis dilatat, à robore ejus dejicit, & sic plannissimum morbo nostro iter pandit.

§. XXII.

Inter alimenta assunta cruda, fortius cohærentia, nimis tenacia, terrea, e. g. ossa, cartilagine, lapilli &c. cum neque à saliva, neque à reliquis digestionis animalibus penetrari, rite dissolvi, macerari & discerpi possint, segnius per intestina feruntur, in recto coagmentantur, illud distendunt, infarciunt, aggravant, & sic constipationem producere possunt.

§. XXIII.

Quæ à farinosis non fermentatis vegetabilibus, aut ex animalium partibus glutinosis, quo cujuscunque generis panes fermenti expertes, caseum lentum, coagulum lactis pressum &c. referas, desumuntur esculenta, ventri-

ventriculum & intestina onerant, à nullo ad digestionem faciente fluido solvi possunt, sed potius viscositatem sua intestinorum, quæ ad excretionem alvinam faciunt, vires hebat, tunicam musculosam canalis cibarii resolvunt, crassum fluidorum chylopoieticorum turbant, eorundem virtutem obtundunt, glandulas denique obstruendo difficulter sanandam intestinorum gignunt labem, sub qua mucus ad lubricandas fæces pernecessarius rite ulterius fecerni nequit.

§. XXIV.

Neminem latet acrimoniam spirituosam, quam inducit abusus illorum potulentorum, quæ fermentationis vinose ope conficiuntur, fibras solidorum stringere, excicare, indurare, eandem gelatinosa mucosa in verum reducere gluten; qui mirum ergo? Baccho deditorum intestinales fibras constringi, glandulas obstrui; utraque ex causa chyli impeditur elaboratio, fæcum sufflaminatur excretio.

§. XXV.

Justo largius ingestus potus aquosus, isque præcipue calidus, elaterem fibrarum præter modum extendet, relaxat, imò destruit, unde tunicae muscularis minuitur peristalticus motus, fæcum excretio impeditur. Idem circa potum liquidorum minus defæcatorum observandum. Egregia est, quam circa hæc observationem habent, E. N. C. (12) de fratre Capucino, qui ex potu cerevisiae nigrae non rite defæcatæ, in contumacissimam alvi constipationem incidit.

B 2

§. XXVI.

(12) Dec. III. Ann. 9. Obs. XXIX, pag. 41.

§. XXVI.

Saliva, vel defectu vel crassi peccans, etiam fomes mali nostri evadere potest; docent enim Physiologi hunc humorem, solidorum dissolutionis optimum esse instrumentum, dum ea humectat, ad macerationem aptat, & fermentationem in illis excitat, oleosa aquosis miscet &c. hoc itaque menstruo peccante, ita turbatur ~~metus~~, ut reliqua ejus adminicula inertia evadant, plures generentur cruditates, quæ pondere suo motum canalis cibarii laedunt, eam in qua hærent ejus regionem ultra justum elasticitatis ipsius gradum extendunt, cuius tunica muscularis inde non sufficienter in contenta agere potest, hinc causis promoventibus destitutæ fæces, ad anum usque pervenire nequeunt.

§. XXVII.

Liquorem gastricum ad digestionem plurimum conferre, quis est, qui dubitet? potius in castra Cæberrimorum Medicorum transfire liceat, & cum eis affirmare, hujus humoris præsentiam, reliquis digestionis adminiculis adeo esse necessariam, ut eo absente vel peccante, nunquam bonus elaborari possit chymus. Liquore gastrico ergo sive deficiente sive vitiato, quod insignis cruditatum generetur quantitas facile colligitur, modo jam aliquoties indicato, fæcum alvinarum exclusi onem intercipiens.

§. XXVIII.

Bilem utramque ex præcipuis esse bonaë chyli elaborationis instrumentis, non nisi rerum Medicarum planè hospes ignorat. Quicquid ergo ab hac actione pendet, illa deficiente aut vitiata, vitiatur, turbatur, alteratur. Bilis enim chymo fæcibusque affusa, ea attenuat,

nuat, lenta & crassa dissolvit, abstergit, acrimonia sua fibras motrices ad excretionem inutilium, in materiam chylosam non abeuntium stimulat, diversissima in homogeneum liquorem vertit, coagula in intestinis orta dividit; bile igitur peccante vel deficiente, propter vasa hepatica obstructa aut alias ob causas, lenta, crassa, viscida in chymo hospitantia non resolvuntur, hinc intestina onerant, porro tunicae musculose stimulus deficit, cefsat una præcipuarum fæcum eliminationis causa, ciborum reliquiæ ergo quamvis intestinali lympha & cæteris humoribus irrigatae, tardo lentoque incedunt gressu. Tantæ igitur nota in excretionis alviæ negotio est, qui sub bilis nomine venit humor.

§. XXIX.

Lymphæ pancreaticæ cum fæcibus, bile & muco, legitimè permittiæ esse, diluere crassæ quæque in intestinis haerentia, ibidem occurrentia acria demulcere & temperare, amaritatem, viscositatem, colorem bilis immutare &c. notum est, (13) ut hæc præstare possit, copia ejus justa desideratur, parcus ergo eadem in duodenum fluente, vel ejus fluxu intercepto, crassiora multa relinquuntur intacta, hinc licet intestinali fæse contrahant, à non satis diluta bile fortius irritata; licet mucus intestinalis fæces lubricet, attamen optatus inde non sequitur earum exclusionis effectus; compinguntur ea potius, in massam solidiorem, duriorem coalescent, & quam diutissime in intestinis crassis commorantur. Dilutio-
nis igitur, quæ succi pancreatici ope fit, defectus fæse ad omnia extendit intestinali. Vitiata si est, succi pancreatici crasis, si est e. g. acidior aut austerior, etiam alvi constipationem producit, quod exemplo illustrat REG-
NERUS DE GRAF. (14).

B 3

§. XXX.

(13) BOERHAV. *Inst. physiol.* pag. 70. §. 101.

(14) de succo pancreatico.

§. XXX.

Glandularum intestinalium liquida, quæ quibusdam sub lymphæ intestinalis nomine veniunt, quem præstent usum in superioribus ostendimus, & ab HEISTERO (15) & BOERHAVIO (16) uberiorius explicatum est. Illud quod glandulæ tenuium intestinalium largiuntur chymo diluendo, illud folliculorum qui in crassis reperiuntur, intestina ab ingestis adhærente acrimonia defendit, & fæcum motum iterque promovet, quid mirum igitur, si hac lympha peccante difficiles fæces alvinas experiuntur mortales?

§. XXXI.

Præter alios eximios quos præstant, qui abdomen ambiant, insignes musculi usus, & illum esse, quod fæcum excretioni inserviant, demonstrant Philosophiaæ corporis humani Conditores; facile ergo patet, his musculis vel ulcere, vel vulnere, vel extenuatione, vel alio modo vexatis, sufflaminari, retardari, cessare scybalorum excretionem. Deficiente enim aut peccante una ad producendum effectum necessaria causa, effectum ipsum peccaturum fore sine prolixa argumentatione patet.

§. XXXII.

Dum nimius motus solida atterit, dissolvit, fluida dissipat, inspissat, idem etiam actionibus naturalibus corporis nostri molestias noxasque procreat. Motu corporis enim nimio partes solidæ, à quibus actiones pendent, de tono suo dejiciuntur, compages fibrarum muscularium laxatur & solvit, humores diversi eas irrigantes, nutri-

(15) conf. HEISTER in Anat. pag. 82. nota glandul.

(16) vid. BOERHAV. pag. 63. §. 91. & 92.

nutrientes, conservantes, nimis subtilisantur, aliorum derivantur, nimis attenuati sub forma fudoris, vel urinæ è corpore eliminantur, quæ remanent, spissescunt, stagnant, virtute sua privantur; nemo ergo mirabitur, quod sub nimio corporis motu, dum inde fluida digestoria peccent, dum inde tunica muscularis intestinorum resolvatur, dum inde porro glandulæ, motus facilitioris subsidium fæcibus largientes, explendo suo officio impares evadant, stercus debito tempore excerni nequeat.

§. XXXIII.

Tam quiete quam vigiliis excedentibus ineptiores reddi partes solidas ad functiones suas exequendas, dum inde à tono seu elatere suo dejiciuntur, volatilia dissipari, spiritus consumi, eorum maxime, qui virtutem liquoris gastrici augent & exaltant, elaborationem, secretionem &c. distineri, sufflaminari, supprimi (17), bilis, fucci pancreatici, lymphæ intestinalis crasim corrumphi, singulas justo spissiores & lentas evadere, hinc eximiam crassiorum cruditatum copiam gigni, tanquam in Physiologicis demonstrata, axiomatum instar pono, & inde justa ratiocinationis lege deduco, quod hinc motus vermicularis turbetur, glandulæ lymphæ intestinalis secretioni præfecta atonia afficiantur, ab utroque pendens fæcum excretio retardetur, fistatur.

§. XXXIV.

Aëre gelido partes solidæ accurtantur, humores densantur, versus interiora coguntur, concentrantur, iidem frigore magis urgente magis spissescunt, unde & actio-

(17) id quod auctoritate Viri Celeberrimi D. D. EISENMANNI, Praeceptoris optimi fretus, assumere nullus dubito, conf. dicta in BOERH. *Physiolog.* §. 171.

actiones naturales machinæ nostræ vitientur, turbentur, lœdantur, necesse est: ut taceamus mala quæ ex tali Athmosphæræ statu reliquis accident corporis functionibus, ea saltem considerabimus, quæ ad alvi constipationem faciunt; consistunt ea in motu peristaltico ob fibras muscularum abdominalium & intestinalium contractas alterato & languente, unde crassiora multa è massa alimentaria pullulant; dum inde porro fibræ obrigescunt, fluida digerentia spissiora, in suis alveis tardius moventur, & hinc omnia ad digestionem facientia peccant, fæces adminiculis ad excretionem in statu sano facientibus privatæ, tardiori gressu ad sui eliminationem tendunt (18). Si ad frigus externum major justo corporis quies accedit, certiores & celeriores fiunt aëris frigidus effectus. Eodem fere modo agunt medicamenta adstringentia & styptica, quippe quibus fibræ musculares primarum viarum ita constringuntur, & humores adeo insipiantur, ut usus eorum, maximè internus, alviconstipationem fidam habeat pedissequam.

§. XXXV.

Aër nimis levus, justo minus abdomen premit, quod aër intestinis inclusus ea justo magis extendat permittit, justo magis extensarum fibrarum tonus debilitatur, debilitata intestina nec humores suos rite emungeret, nec contenta decenter ulterius promovere possunt. Et hoc modo nimis levis aër nostrum producere potest affectum.

§. XXXVI.

(18) vid. SEBIZ. *in specul. Med. pract.* pag. 1020. ubi externas constipationis alvinae caussas recenset, quorum & pertinet aër aquilonaris ab Hippocrate *Aphorism.* s. & 17. *Sect. 3.* recensitus.

§. XXXVI.

Sub aëre nūmis æstuante , machinæ nostræ parte* aquosæ, spirituofæ, salinæ volatiles , assiduè diminuuntur, fixiorum, crassiorum, tenaciorum proventus mire augetur, hinc oriuntur humorum immeabilitas, solidorum elongatio, inde non difficile erit cognitu, quod talis aër digestionem, chyli extractionem, fæcum à laudabilioribus separationem impedit, & ita turbet, ut disipato fluido movente, relaxatis canalis intestinalis fibris, quæ motum peristalticum efficiunt, cruda reliqua ægrus tardiusque per anum excernantur. Non injustè forsitan hoc referemus diaphoretica sic dicta positiva, sanguinem exæstuantia, humores colliquantia &c. (19).

§. XXXVII.

Purgantia resinosa, acriora, draistica, emetica sufflaminant turbantque primarum viarum actiones. Priora quidem partibus suis resinosis, sulphureo-salinis, spasmum insignem fibris intestinalium inducunt, unde magna sericea copia ex eorum glandulis & exhalantibus vasibus exprimitur, glandulæ depletae constringuntur, canalis alimentarius sufficienti lymphæ suæ copia orbatur, cuius debita quantitas, cum maximè ad promovendam fæcum alvinarum excretionem faciat, non mirum horum usum nunquam non alvum excipere constipatam. Emetica autem, dum ventriculi motum peristalticum invertunt, & spasmos in vicinis ventriculi partibus excitant, majorem bilis utriusque & succi pancreatici copiam stomacho

C

in-

(19) MARCELLUS DONAT. *M. d. Hist. L. IV. cap. X.* & SEBIZ. in *Specul. Med. pract.* confirmat passim dicta pag. cit.

infundunt, unde utique digestio & chylificatio vitian-
tut, imò per consensum, & crassorum intestinorum mu-
sculorumque abdominalium actiones labefiunt, quibus
ritè pensitatis, nemo dubitabit, ea sèpius justo longio-
rem scybalorum in intestinis moram gignere.

§. XXXVIII.

Animi pathemata uti curæ, terror, moeror, tri-
fitia, sèpe etiam ira, eam vim inferunt actionibus na-
turalibus, ut spiritibus aliorum vocatis, elatere partium
depravato &c. & excretio alvi vitium contrahat, cuius rei
memorabile refert exemplum MARCELL. DONAT. (20) plu-
ra habent FONSEC. (21) HIPPOCRAT. (22) AETIUS (23) &c.
huc forsan haud injuria referemus alvi constipatæ
exempla, quæ ex venere accidisse notant BAGLIV. (24)
& AMAT. LUSITAN. (*) neque hoc mirum, spiritus enim
usu veneris justo frequentiori consumuntur, partium so-
lidarum virtus & vigor infringitur, inter quæ & natura-
les corporis functiones ita afficiuntur, ut alvus minus
rite respondeat. Profusione larga lacrymarum, quam
ad hæc referre liceat, uti insignis seri tenuioris quanti-
tas deperditur, ita glandulæ intestinales parte quadam
liquidi fæces humectantis inde privatæ, quadanterus sic-
cescunt, exsiccantur, quod ipsum LANGIUS in *Observat.* confirmat.

§. XXXIX.

(20) *de Histor. mirabil. L. IV. cap. 27.*

(21) *observat. 87. & consult. Med. 96.* mentionem fiat, mulieris terrore
in obftipationem alvi per quatuor menses durantem incidentis.

(22) *Epidem. L. 7.*

(23) *Libro III. cap. 8.*

(24) *Opp. pag. 101, 103, 108, 110, 114.*

(*) *Centur. I, observat. 47.*

§. XXXIX.

Præternaturalium, utiloquuntur Medici, memor causarum, nonnullas modo earundem adducere licebit. Ita vermes, lumbri, vel ipsa tænia, tumor inflammatorius ex hæmorrhoidibus internis formatus, abscessus ex iisdem formati, maturi, rupti, materiei purulentæ in cavum intestinorum effusæ coagulatio, induratio, (25) flatum retentio & suppressio, ani imperforatio, vel ejusdem excrecentiae sive internæ sive externæ, uteri vitium (26) coalitus internorum laterum intestini ex materia dysenterica ulcerante (27), hernia incarcerated, invaginatio intestini, inclinatio denique foetus in utero versus spicam dorsi, quo positu intestinum rectum comprimitur, &c. variis modis impediunt, quod scybalia minus legitime excerni valeant.

§. XL.

Præmissis nonnullis, quæ viam ad causas occasio- nales constipationis alvi pandunt, subjectorum in hoc malum proclivium vel paucis meminisse licebit: ubi no- tamus, eos qui adipitum omnem explent, voracitati deditos, ingurgitatione plurium ciborum ventriculum ul- tra justum elasticitatis ejus gradum extenderentes, varia solida difficulter à dentibus aut menstruis digestionis so- lubilia, aut alia haud ritè masticata deglutientes, eos qui delectantur usu largo potum farinosorum, visci- dorum, illos porro qui potum non bene defœcatum ex

C 2

gela-

(25) consul. SEBIZ in Specul. Med. præt. pag. sepe citata

(26) vid. FIENUS de flatibus; tale exemplum etiam suppeditant A. E. L. Anni. 1707. mens. Febr. 85.

(27) cuius rei exemplum recenset RHOD. cent. 2. observ. 82. in mi- lite Patavino. Convenit cum hoc illud, quod ex MARCO DONAT. adserit Sennertus.

gelatinoso - viscidis frequenter bibunt , deliciis fumi è Nicotiana , quo salivæ quantitatem justo majorem perdunt , largissime indulgentes , otiosos , sedentariæ vitæ deditos , speculabundos , bilis lentescientiam fibi contrahentes , hypochondriacos , glandularum intestinalium obstructionibus laborantes , affectibus arthrico - spasmodicis , ut nephritide , podagra &c. correptos , crebris corporis exæstuationibus obnoxios , largis sudoribus diffluentes , elaterem fibrarum laxantes potuum calidiorum ut theæ &c. ab usu , nimis strenui in veneris castris militantes , tensio fibrarum elatere præditos , bili nimis fatua gaudentes , Cholericos , Melancholicos , febribus acutis , tertiana continua &c. laborantes , refrigerationes corpore calente admittentes , in aëre frigido humido viventes , purgantibus acrioribus , resinois , emeticis fortioribus tractatos , gravidas , hæmorrhoidibus internis , intestinalium ulceribus &c. laborantes , vermisbus obfessos & alias , obstipationi alvinæ esse expositos .

§. XLI.

Adeo multiplices , adeo variæ sunt , quæ affectum nostrum producere valent cause procataarticæ ; cave autem credas B. L. nos omnes recensuisse , recensuimus faltem non nisi præcipuas , quarum nempe respectu casus noster variare solet . Sed præterea notandum constitutionem alvinam mox aliis jungi affectibus , eorundemque symptoma existere , id quod quidem fatentibus praticorum quam plurimis frequentissime fit (28) : mox vero eandem morbosum & præternaturalem statum per se constituere , symptomata ex natura sua pendentia producen-

(28) JUNCKER , in conspectu Medic. Theoretico - Practic. pag. 849. disser. 1) 2).

ducentem, unde generalis ipsius distinctio in Idiopathi-
cam, & Symptomaticam nata est. Excederemus fines
tractionis, si utramque tradere vellemus aut singula
circa utramque dicenda, ex merito persequi: liceat po-
tius paucissimis ea indicare, quæ Idiopathicam spectant
constipationem, quæ nempe effectuum ex se prodeun-
tium, sub nomine symptomatum occurrentium causa
existit & mater.

S. XLII.

Affectus igitur nostri causas proximas eruere tentemus easque penitus rimemur. Non negamus causam constipationis alvinae tam Idiopathicæ quam Symptomaticæ admodum conspirare, immo eandem esse: in utroque enim affectu materialem morbi causam feces alvinae absolvunt. Illæ autem causarum, quas Medici formales dicunt, à se invicem discrepant; sicuti enim alvi symptomaticæ constipatæ causa formalis in strictura spasmatica intestino recto inducta consistit, ita illa Idiopathicæ potius in motus peristaltici languore & quadam atonia fibrarum intestinalium consistere videtur. Hæc itaque constipationis alvinae Idiopathicæ sit definitio genetica quod sit ille status corporis humani præternaturalis, sub quo tuniceæ muscularis intestinorum vires non sufficiunt excernendis fæcibus, quæ hinc justo diutius retinentur, & plurimum morborum infelices evadunt genitrices.

§. XLIII.

Hanc retentionem potissimum in coeco intestino fieri, probabile reddit singularis ejus situs, ob quem faeces contra propriam suam gravitatem, sola tunicae ejus musculosa ope, sursum pellenda sunt, qui motus vio-

lentus quacunque ex causa debilitatis fibris muscularibus imminuitur, intercipitur. Nec colon semper immobile esse docent ejus creberrimæ valvulae, major in eo observanda faecum siccitas &c. Rectum itidem quacunque ex causa laxatis ejus fibris huc conferre potest (29), non enim recta sed ossis sacri in modum obliqua est ejus directio. Sedem nostri mali in ipsis intestinis tenuibus interdum querendam esse docent ACT. WRATISLAVIENSIA (30).

§. XLIV.

Quocunque in intestino igitur retentis scybalis, debilitate jam ejus fibræ ulterius extenduntur, debilitantur, materialis causa novo assumto alimento magis magisque augetur, sensim ulterius serpit malum, motus peristalticus impeditur, laeditur, putridi plurimum massæ sanguineæ immiscetur, vasa intestinalia qualiacunque premuntur, debitus humorum circulus sufflaminatur, infesta gravissimorum malorum surgit scaturigo.

§. XLV.

Ad diagnosin nostri mali accedentes non alte ejus signa conquirere opus habemus, signum ejus verè pathognomicon est mora excretionis alvinæ justò longior, id est morbosis symptomatibus stipata; horum morborum nonnullos hoc & sequenti §. allegare liceat.

I. Ma-

(29) quin immo sèpissimè intestinum rectum sedem nostri morbi esse, confirmat HEDERICH in diss. de aivo obstruè.

(30) Tent. 21. pag. 96. §. 71. exemplo infantis cuius intestini jejuni tantam fuisse augmentum referunt, ut vix ac ne vix quidem tenuior calamus scriptorius illud penetrare potuerit.

I. Materia alvina crassa, mortua quasi jacens, diuturna in intestinis mora, calore & inclusu aere solicitata inchoat putrescere, materiam gignit halitusfam, elasticam, quae mox nimium expandit, quam occupat canalis regionem, unde spasmis vexatur intestinorum alveus, & cum iter expanso aeri per inferiora a fecibus praecolum sit, oriuntur Flatus, Borborygmi, Colica flatulenta & ipsa Tympanitis.

II. Motus spasmmodici isti, natales suos in tunice nervae strictrura agnoscentes, ad ventriculum usque ob continuitatem canalis propagantur, & hic in consensu trahitur, unde Cardialgia & Spasmi Ventriculi oriuntur, si spasmis adeo increscent ut ventriculum inverttere possint, in consensu raptis muscularis abdominalibus exoriuntur vomitus.

III. Intestina & ventriculus fecibus, aere &c. repleta, muscularum abdominalium contractioni, diaphragmatici descensu resistunt, hinc Dyspnoeæ, Anxietatis Praecordiorum, Asthmatis &c. ortus deducendus.

IV. Fæces & aëris intestinalia vasa premunt, priorum acrimonia ea rodit, unde vasorum sanguineorum crispationes & strictræ oriuntur, impeditur ergo crux per tenuissima intestinalia vasa progressus, oritur inde Obstructio & Inflammatio, hancque non dissipandam fermenta per insequentes, sive Abcessus, sive Gangræna, sive Scirrhous.

V. A mali nostri causa materiali compressis venis intestinalibus, sanguinis per vasa intestinalia sufflaminatur, impeditur circuitus, non rite ergo evanuantur arteriarum coeliacæ & mesentericæ utriusque ultimi rami, iustò major sanguini per aortam inferiorem pellendo ponitur obex, hinc solito plus sanguinis carotides subit: si his quæ n. III. de sanguinis per pulmones difficiliori motu

motu diximus addantur, sub quo statu nimirum ventriculo dextro non ritè evacuato, quem venæ jugulares sinui cordis dextro tradere deberent, cruar ex eis effluere nequit, facile patet inde congeri in encephalo nimiam cruaris quantitatem, qui tenuissima corticis vasa extendendo aut rumpendo, Vertiginem, Deliria, Apoplexiā, Paralysin &c. excitare potest.

§. XLVI.

VI. Fæces stagnantes putrefactare supra indicavimus, aliunde constat sub quacunque fermentatione, ergo & sub putredinosa, halitum summe elasticum generari, qui cum aere cum alimentis intestinis illato junctus, eum itidem rarefacit; hic halitus nulla inventa, qua erumpat porta, intestina extendit, acrimonia sua alcalina compressa vasa rodit, mirum in modum tunicae nerveam & muscularē stimulat, hinc inflammatio & motus peristaltici inversio, uno verbo Ileus oritur, ex hoc urgente Miserere mei.

VII. Dum intestina à fæcibus premuntur, premantur & eorum nervi necesse est, unde æquabilis fluidi nervi in ipsos influxus impeditur, cui si nervorum ab acri, sub hoc statu generato, accedit irritatio, pressi, distenti, irritati nervi, eximios Dolores, Spasmos, imò in consensu tractis insignibus, è quibus oriuntur plexibus Convulsiones excitant. Et sic à malo nostro Colica oritur Convulsiva.

VIII. In intestino recto hærentes fæces siccæ, mole & copia austæ, distendunt hoc intestinum ultra justum ejus dimensionis gradum, unde supervenientibus tandem excernendi conaminibus fortioribus & molest. ejiciuntur

tur quidem scybalia dura, sed supervenit tunicarum & vasculosae & nerveae ejusdem intestini relaxatio, quæ Medicis sub Prolapsus nomine venit.

IX. Intestinum rectum vesicæ urinariæ in viris neci docet Anatome, unde illo fæcibus durioribus & copiosis distento, fibrisque ipsius muscolosis cedentibus, premi simul vesicam urinariam facile intelligitur. Diversimode igitur turbatur & alteratur mingendi actus, quem in eo certius ab affectu nostro alterari, inde patet, quod inter intestini recti & vesica vasa, magna intercedat affinitas, illis itaque lœsis & haec afficiantur necesse est, hinc ab affectu nostro Dysuria, Ischuria, Vesicæ inflammatio, gangræna & sphacelus exsurgere possunt.

X. Uterum in pelvi intra vesicam urinariam & intestinum rectum locatum esse, sectio cadaveris foemini docet; unde mirum non est, quod uterus extensus & ampliatus, mole foetus & secundinarum, intestinum rectum proprius contingere & premere possit, si jam eodem tempore illud ipsum intestinum insigni quantitate compactorum scybalorum pariter extensum est, premuntur uteri vasa, quæ si & à spasmio nervos intestinales vexante corripiuntur, os uteri aperitur, abortusque excitatur (*). Porro scybalia dura, compacta, in intestino recto hospitantia, Inversioni, Procidentiae uteri, Relaxationi vaginæ ansam dare, saltim affectus hos jam præsentes alere, sustentare, exacerbare posse, vel ipsa harum partium connexio, fitus geniusque horum malorum combinatus ita docent, ut superfluum sit plura circa eorundem fiendi modum addere.

D

XI. Duma

(*) conf. HILDAN. Observat. corp. 6, obs. 62.

XI. Dum in intestinis hærentes fæces, pondere & acrimonia sua tunicam nerveam in spasmus rapiunt, hi spasmi facile ad medullam spinalem, ex qua plures huc facientes nervos oriri supra vidimus, propagantur, & inde Februm omnis generis causæ evadunt; & quidem eò certiores, quod acre ex illis à venulis reforptum, massæ sanguineæ conimissum, tam cruentem, quam fluidum nerveum alterando, semper fomitem ad continuandas, aut resuscitandas, tam Febres Continuas quam Intermittentes largiatur.

XII. Materia cruda, siccescens, intestina exten-dendo, fluida digerentia halitu suo inquinando, horum secretionem justam impedit, eorum crasis turbat, non resolvitur ergo chymus, vifidae ejus partes glandulas intestinales obstruunt, vafa reforbentia venosa & lactea oblinunt, unde exigua chyli quantitas massæ sanguineæ infertur, & hinc totius corporis Atrophia & Maces oritur.

XIII. Diximus n. V. ab affectu nostro vasa encephali premi, alteratur ergo inde cruentis, per ilud fluentis, circulus, spirituum sive secretio sive liberior fluxus impeditur, cor igitur, quod in casu nostro juxta n. III. jam difficulter movetur, justo minori fluidi nervei quantitate irrigatur, hinc interdum non debite evacuatur, & Syncopen, & Lipothymias excitat, quas sèpius recurrentes genesin Polyporum, Anevrismata cordis, aut magnorum vasorum &c. non raro sequi, Medicorum docent observata.

XIV. Dum sanguinis in cerebro circulus, dum liquidi nervi distributio, ut jam monuimus, ab affectu nostro turbantur, facile sub his turbis, nimia fluidi nervei in nervos

vos motorios, nulla aut pauca in sensibus præfixos contingit actio, & hinc Epilepsia generatur.

XV. Quibus hæc, quæ allegavimus, non videntur satis gravia mala ab constipatione oriunda, accedant eos casuum Medicorum Scriptores, qui lethalem eam fuisse habent, uti videre licet in A. N. C. Decad. III. 10. 9. Observat. 211. pag. 383. ex lapillis cerasorum. Similem habet RHOD. Cent. 2. Observ. 82. pag. 112. RIEDLIN. Curar. Med. 501. pag. 304. idem 535. pag. 327. Plura adhuc restant mala, quibus existendi rationem largitur constipatio alvi; sed cum potiora jam tetigerimus, atque facile ex dictis erui possint, hic finire commentariolum lubet.

§. XLVII.

Cum itaque affectus noster haud sit vilipendens, quippe qui graviorum, quod hactenus paucis indicatum fuit, sæpe auctor existere potest morborum, ne nostro deesse videamus officio, quo pacto averti, quove præfens tolli possit, paucis docere licebit. Ita vero hoc ipsum executurus sum, ut Idiopathicæ constipationis medendi methodum potissimum tractem, symptomaticæ medicatione missa. Curationem Idiopathicæ tribus potissimum niti momentis existimo, quæ sequentis quidem tenoris sunt.

I. Removenda est materia, scybala dicta, hoc malum alens, exacerbans, in intestinis potissimum crassis hærens.

D 2

II. Sym-

II. Symptomata graviora præcipue in sensibilioribus
subjectis mitiganda sunt.

III. Motus peristalticus intestinorum labefactus, pri-
mo suo vigore restituendus est.

S. XLVIII.

Primæ quidem Indicationi optime satis fieri potest
usu frequentiori enematum, è simplicioribus paratorum,
qualia sunt, quæ ex aqua simplici cum Furfuribus, Flori-
busque verbasc. &c. Hb. vel alv. &c. decoct. additis aliquot
cochlear. & lin. vel olivar. & \ominus is communis portiun-
cula parantur, juscula ex carne bubula, vitulina parata,
decoct. rapar. omnia salina oleoso-pingua. Ubi vero major
& uberior desideratur apparatus, iidem clysteres ex rad.
malv. alth. lil. albor. Hb. \ddagger rial. malv. ultraque, parietar.
farfar. violar. Flor. verbasc. sambuc. melilot. Sem. lin.
caric. &c. cum ∇ fontana decoctis & $\ddot{\wedge}$ chamaelin.
lil. alb. verbasc. flor. rosar. parari possunt, qui-
bus Unguent. clysmat. alterandi, & stimuli loco \ominus gemm.
seu commun. addi possunt. Hæc, nisi excrementorum sub-
sequatur excretio, fortior fæcum compages incidentia
& resolventia requirit, quæ cum prædictis emollientibus
junguntur, & sub eadem forma adhibentur: huc re-
fero Rad. ap. foenicul. polypod. pimpinell. alb. rusc.
Hb. fumar. agrimon. beton. epithym. &c. Flor. bellid.
genist. & Irin. popul. rut. 7tem Flor. Mynsicht. Maj-
orem his clysteribus stimulum addunt extract. helle-
bor. nigr. Electuar. diacathol. tandem nisi his fæces
alvinæ compactiores obedientes sint, suppetunt po-
tiones laxantes ex Flor. perficor. acac. cartham. &c.
sem. ebul. cocognid. &c. Fol. fenn. Cass. fistula,
Rad.

Rad. bryon. Fibr. hellebor. nigr. &c. ⊖ anglic. &c.
paratæ. Electuar. de Bacc. laur. hieræ cum agar. diacolo-
cynth. Benedict. laxat. diafen. carminativ. syr. de squill.
Bryon. diacolocynth. &c. etiam in usum trahantur: haec
resolventia cum emollientibus, carminantibus, stimulantibus,
proportionate inter se mixta, alterata, non infelici suc-
cessu etiam sub enematum forma applicari possunt (31),
laxantia enim externo usu fiunt resolventia: neque sup-
positoria negligenda sunt (32), haec mox simpliciora ex
fevo aut saccharo in globulos redacto parata, mox ma-
gis composita ex sapone confecta, stimulantibus forti-
oribus ut ḡre jalappæ, hellebor. nigr. trochisc. alhandal.
acuata, melle distemperata, experientia saepe comprobat.

Illa Indicatio pro symptomatum varia natura
variis expletur Medicamentis, sic enim mox antiphlo-
gistica Ⓛ trofa, Ⓛrina, diaphoretica, absorbentia, mox
incidentia, resolventia Ⓛina falsa, leviter acidis vege-
tabilium imbuta, diluentia calida, in usum trahenda in-
ernum, mox externis discutientibus, roborantibus,
emollientibus, &c. opus est.

Segniore tandem alvo reclusa clysteribus, mitigatis-
que symptomatibus, ne ad pristinum relabatur vitium ca-
nalis intestinorum, Medicaminibus tonum seu elaterem re-
stituentibus opus esse censeo, hic finis, quem III. Indicati-
onem esse diximus, obtinetur, si ipsa martialia puriora &
simpliciora e. g. limatura Ⓛ in alcohol reducta, cum
lenioribus stimulantibus laxativis, ut aloë violat. rosat.
Extr. aloë gummos. Pil. Francofurtens. Extract. centaur.
minoris, sive Extract. hellebor. nigr. aquos. acuata,

D 3

firb

(31) plura qui desiderat circa enemata adeat OTTONEM BRUN-

FELSIUM libr. de artificiis suppressam alvum ciendi pag. 230.
(32) vid. A. N. C. Decad. I. Annum III. Obseru. 25. pag. 43.

Sub pillulari forma versus somnum offeratur; cui scopo & Pil. Stahl. aut Becherianæ inserviunt: quid effecturum sit ad hanc segnitiem motus peristaltici emendandam consilium Cel. JUNCKERI in *Conspic. Med. Theoretico-practici* pag. 850. Sub method. med. obseruac. alvi Idiopath. propositum, experientia relinquitur. Me certe judice non solum molestum est, sed & nonnunquam periculum inferre potest. Metus enim justus subest, ne in hac atonia intestinorum, pressionibus partium excretionem urgentium ita cedat intestinum rectum, ut procidentia ani subsequatur.

§. XLIX.

Dixta sit tenuis, diluens, exacta, potulenta exhibeant ptisanæ ex radicibus aperientibus, carminativis junctis paratæ, jusculis vegetabilia incidentia, resolventia addi possunt, si vel minima febris adeat, carnium & vini vitentur usus, omnia quæ difficilioris digestionis sunt esculenta & potulenta, cane & angue pejus vitentur, motus pro ægroti viribus sit moderatus, neque nimis parcus, neque nimis fortis.

§. L.

Hactenus tradita methodus Idiopathicam potissimum spectat constipationem, nec tamen negari potest ex his & nonnunquam quædam ad symptomaticæ levamen transferri posse. In symptomatica interim cum vi S. XXXVIII. & XXXIX. rationem suam in alia causa morbifica agnoscat, morbus primarius congruis tractandus est medicamentis, quo quippe remoto & hoc cessa-

cessaturum symptoma effectusque illius ; rationi & experientiae consentaneum est. Hæc pluribus perfecuti sunt Viri, qui in republica medica celeberrimi sunt, & egregia scripta reliquerunt , id quod etiam de congrua morborum graviorum constipationem alvi excipientium medicatione valet , unde pluribus remediis congerendis & huc transcribendis supersedere jure possumus. Ablegamus Lectores æquos , ad illos auctores ubi farraginem remediorum quibus cedant mala dicta , invenient (33).

§. LI.

Hæc itaque sunt, quæ tenuitas virium nostrarum circa thema nostrum meditata est , censuitque exponna. Sufficient hæc; quamvis plura postulari posse, haud inficiemur. Ens summum , quod hactenus clementia sua meis utut levioribus adstitit conaminibus, faveat & in posterum mihi Medicinam facturo, quo Praxeos meæ exercitium cedat in ejusdem Benignissimi & Altissimi Numinis Gloriam , & Proximi cum morborum sœvitia colluctantis levamen atque salutem.

(33) Celebr. JUNCK. de obſipat. alv. ALBERTI *Praxis Medicinae*.



COROLLARIA.

I.

*M*edicinæ origo utique ad Deum referenda.

II.

*Musculus digastricus maxillæ inferioris non solle
eius detractionem absolvit.*

III.

*Si sub suturis craniî extravasati quid haeret &
haec securè terebra peti possunt.*

IV.

*Cortex chinæ nequaquam adstringendo febres in-
termittentes siflit.*

V.


*Mercurius Dulcis sine omni periculo cum Salium
quibusdam teri potest & interne dari.*

VI.

*Gravissime peccant, qui formulis liquidis è fossili-
bus parata graviora invicent.*

Straßburg, Med. Diss., 1. Ambrodius-
Beucke

X 241 8820



2

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
NONNULLOS GRAVIORES
MORBOS
EX ALVO CONSTIPATA,
QUAM
 adjuvante **NUMINE SUPREMO,**
 INDULGENTE
GRATIOSA FACULTATE
MEDICA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES
RITE CONSEQUENDI
 SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI
 OFFERT
IGNATIUS LUDOVICUS ARMBRUST,
 SELESTADIENSIS
AD D. X. NOVEMBRIS A. MDCCXLIX.
H. L. Q. C.
 ARGENTORATI,
 TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII, UNIVERS. TYPOGR.